

*lis sermo et omni acceptione dignus &c.* Neque hic Patrum usus nominatim, sed perpetuus Scripturarum Cento. In *Serm.* tamen *Penitentiali fol. 170.* Gregorium citari video.

III. fol. 195. p. 2. *De mundi principio.* Initium: *Quando factus est mundus in initio creaturarum dei. in quo die in diebus mensis et in quo die in diebus septimane. et in quo anno et in quo tempore. si in die an in nocte. et in qua hora interrogamus. &c.* In equinoctio et die dominico et in communi anno secundo in ogdoade et in prima hora creatus est &c. Atque ita deinceps de ratione Mensium, dierum, horarum &c. Discipulorum Institutio esse videtur; praemittitur enim inscriptioni supra adductae: *Tribus praemissis magister de historia tractat.* Quae vero illa tria, aut quis *Magister?* Eruitione certe inferior *Beda, Isidoro, Alcuino et Rabano*, ut ex iis patet, quae de Appellatione Mensium apud Romanos adfert, ubi *Numam pamphilium et Zingium duces* legas.

IV. fol. 202. p. 2. et deinceps Rubricae: *de mensis et escis. De potu. de Vasis escariis. De Vasis coquinariis.* Et miro nexu: *De heresibus christianorum.* Deprompta sunt haec, quamvis tacito Autore, ex *Isidori Hispal. Originibus*, et quidem Rubricae IV. priores *Libri XX. Caput I. II. III. IV.* et VIII. constituunt; ultima vero *Libri VIII. Caput V.* Sub initium C. I. Noster rectius legit: *Accubitum a cibo vocatum*

*quasi ad cibum epularum*, ubi Editio Breuliana *ad cubitum epularum.* C. ult. *Aerianos* Haereticos probe ab *Aetianis* distinguit, quos utrosque *Breulius Aetianos* fecit. Sed et reliqua conferri merentur.

CLXXII. VIII. 7. 5

Codex membraneus lat. Sec. 461 XV. Folior. 64. 4. per duas columnas minute exaratus, rubricis distinctus, aevoque ac usu sic factis adtritum hoc Rubro est: *Incipit Morale compendium figurarum biblie editum a fratre Anthonio de Janua* —. Praefaminis initium: *Religiosis in christo dilectis studentibus neapolitani conuentus fratrum heremitarum ordinis sancti augustini frater antonius Rampologus* (de Rampigollis, Ampigollis &c.) *de ianua ordinis memorati salutem &c. Dilectioni vestre conferens postulata &c.* prout in Exemplari manco, quod *Cod. CLXXIX.* indicavi. Praefens integrum est, finitque in Titulo *de X<sup>o</sup>.* his verbis: *Mundus inquit aduersus desertores suos. Explicit morale compendium. Incipit tabula.* Haec tamen magnam partem extrita est. Iis, quae ad *Cod. memoratum* dixi, addo, sub diversis titulis, quibus *Codices* et *Sec. XV. Editiones* insignitae sunt, *Biblia Aurea* lat. et germ. *Repertorium, Reportorium, Reportorium Biblie aureum, Figurarum Biblie compendium aureum, Introductorium in biblie Historias figurasque* idem omnino Opus esse, atque a nostro

stro praesente distinctum, neque falli quenquam oportere, quasi illud nostri compendium, aut nostrum illius fit; tota enim Tractatio diversa est, et dum illud Littera A. sequentes censet Titulos: *Abstinentia, Acceptio Munerum, Accidia, Adoratio Dei, Adulatio, Ambitio, Amicitia, Amor Dei, Amor Proximi, Amor carnalis, Angeli boni, Angeli mali, Anima, Apparitio, Aspectus, Astutia, Avaritia, Auditus verbi Dei, Aviditas mulierum, Auxilium Dei*; Nostrum non nisi sequentibus definitur: *Abstinentia, Accidia, Adulatio, Amicitia, Angeli, Apostoli, Ascensio, Avaritia.*

CLXXIII. VII. 9. 14.

562 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 306. 4. currente calamo exaratus rubricisque distinctus hoc gaudet titulo: *Incipit liber super historijs noui ac veteris testamenti iuxta ordinem alphabeti per fratrem Petrum de Bruniquello ordinis fratrum heremitarum sancti augustini episcopum ciuitatis noue. Exemplum Operis hujus mss. adfert e Bibliotheca Vintimil. Ordinis sui Ossingerus in Bibl. August. p. 164. ad cujus calcem completum dicitur a. 1319. Autor vero ipse Fr. Petrus de Rupe Maura cognomento Bruniquello nuncupatur. Rupes porro Maura (Rochemore, Roquemauve) oppidum est Dioecesis Auenionensis, in quo obiit Clemens V. qui a. 1311. Petro Episcopatum Aemonensem sive Novae Ci-*  
Denis Codd. mss. theol. Bibl. Palat.

*uitatis in Istria contulerat. Ugello teste T. V. col. 238. functus illo videtur usque ad an. 1328. Gallus itaque habendus est, non Italus, ut quidam voluere, quamvis cognomen ejus de Bruniquello (Brunicelli, Brunnquell) non Itali modo, sed vel Germani vendicare sibi possint. Opus jam ille suum inscribit Reuerendo in Christo patri ac domino suo precipuo Berengario (Fredeoli, al. Stedelli seniori) diuina prouidentia episcopo Tusculano et sancte Romane ecclesie Cardinali penitenciarieque curam animarum gerenti post summum pontificem gregis christi, qui laborem hunc illi injunxerat. Initium: Quia feruenti desiderio hanelatis (anhelatis) ad ea que possunt cedere ad laudem creatoris et animarum salutem &c. — Sed quia abstinentia carnem domat et caro extenuata habilior est ad contemplantum diuina. Idcirco de abstinentia erit primum capitulum. Hic igitur habentur omnia, quae facer Textus de Abstinentia suggerit, et sic Capitibus CCL. proceditur usque ad Zelum, tum hoc legitur ἐπιφωμῶνα: Scriptum brunxellis et completum deo adiuuante per me fratrem Johannem Duysseldorp pro tempore cursorem ibidem et nouissime promotum in cursorem treueren. Sub annis domini a natiuitate M<sup>o</sup>. CCCCLXI<sup>o</sup>. 5. mensis Augusti In conuentu fratrum ordinis beatissime Marie virginis de monte carmeli. De Viro hoc inter Suos laudato mox. Hic solum obseruo, Cursorem adpellatione Academica dictum fuisse*  
H h Bac.